Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26215
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cem sanctae ecclesiae referamus. ille ei uerba beatificat qui ea quae audierit opere consummat. Huic enim testimonium reddit. qui exemplis uitae illius bene uiuendo respondit. Sanctam quoque enim ecclesiam ille ueraciter uidet. cuius testatur uita quae uidet. Ad hoc namque bonorum uita eius rectitudo cernitur. ut quique eam uiderint, a suis prauitatibus corrigantur. Nec dubium quod incassum uidet bonos. qui non est emendatus a malis. Sed unde ei testimonium reddatur ostenditur cum subiungitur. Eo quod liberassem pauperem uociferantem. et pupillum cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me ueniebat et cor uiduae consolatus sum. Magnae misericordiae ista sunt opera liberare uociferantem pauperem. pupillo adiutorium ministrare. periturum eripere. cor uiduae consolari. Superius enim dictum est quod exhibuit per doctrinam. Ait namque: Auris audiens beatificabat me. Hic autem narrat quae per misericordiam impendit dicens. Eo quod liberassem pauperem uociferantem. et pupillum cui non esset adiutor. Vox quippe cum opere sibi necessario concordat. Hec beatus iob et exhibuit subditis. et tamen per sanctam ecclesiam exhibenda signauit. Quae per utrumque nec incessabiliter exercet. ut uidelicet filios suos et loquendo pascat. et defendendo protegat. quatenus et per uerba bonos faciat et per patrocinia tueatur a malis. Bene autem scriptum est. Germinet terra herbam uirentem et facientem semen. et lignum fructiferum faciens fructum iuxta genus suum. Quod sic est ueraciter faciendum. Per terram quippe figuratur ecclesia quae uerbi nos pabulo reficit. et patrocinii umbraculo custodit. quae et loquendo pascit. et opitulando protegit. ut non solum herbam refectionis proferat. sed etiam cum fructu operis arborem protectionis. Perpendendum quoque uideo his qui plebium gubernationibus praesunt. quod superius dicens uidebant me iuuenes et abscondebantur. nunc adstruit et cor uiduae consolatus sum. quanta sit disciplina regiminis. ut ante eum iuuenes abscondantur. quanta mansuetudo pietatis ut per eum uiduae corda consolentur